

Ralle



1731, 18
FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS

Sfreit, JCtvs,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,


L. B. S.

ERFORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typog.

FACULTATIS LARIDICAE
DECANUS
I.O. PHILIPPIAS
S. C. J. C. T. A. S.
CIVICARUM AC SEVERINARUM INGENIIS
ERICOTORIS MOCANTIN CONSTITV.
RIAS REGIMINIS

L. D. 5

ERGODIA
LIB. I. HISTORIA HENRICI
AEGIDI.



Ei publicæ interest delicta non manere impunita, & pœnas pro maleficiis solvi, magna suadet ratio, ait L. si à reo. 70. §. id quod 5. ff. de fidejussor. adeò ut secundum Sene-
cam, qui malos non plectunt, bonis injuriam facere, & qui parcunt improbis, bonis nocere dicantur. Quapropter Imperatores atrocia crimina severè punire jubent, mandant delinquentes capere, lictoribus tradere, verberare, capitibus plectere, de aiboribus & patibulis suspendere, colla constringere, urere, rotâ contundere, aliisque suppliciorum generibus pro delictorum ratione afficere, ut paucorum supplicio multi castigentur, ne dormiente justitia, nequitia crescat: in Pœnis tamen hisce irrogandis, judici perspiciendum est, ne quid aut durius, aut remissius constituatur quam causa deposita, nec enim severitas, nec clementia gloria affectanda, sed ut quæque res

(2

postu-

postulat, perpenso iudicio statuendum, ne in absol-
vendo vel condemnando contra jus vel æquitatem
peccetur. *L. perspicuum* 11. in *pr. ff. de pœnis.* Hinc
quidam prædarè dixit, justitiam sine misericordia esse
crudelitatem, & misericordiam sine justitiâ, fatuita-
tem. Quare ut ii, qui sceptra tenent, qui aliis impe-
rant ac dominantur, officium suum cautè & pruden-
ter administrare possint, ut in reis puniendis, & inno-
centibus defendendis metam nec transsiliant, nec ju-
stitiae ac rationi adversentur, Nemesis Carolina iis
maleficiorum puniendorum ordinem præscribit, quod
nempe impuniendo crimine ante omnia ad rationabi-
lem loci consuetudinem, quid videlicet practicari, &
in aliqua regione observari, vel quæ pœna malefacto-
ribus imponi soleat, deinde ad statuta localia civitatis
vel territorii respiciendum sit. Si verò nulla specialia
reperiantur, sequenda Carolina Pœnalis, & si quid in
ea desideratur, id à jure communi mutuandum; deni-
que, quid æquitas postulet & dictet probè inspicien-
dum; deficiente enim jure vel lege, æquitas supplet.
L. in summa 2. *ff.* §. item *Varrus* 5. *ff. de aq.* & *aq. pluv.*
arc. in fin. quæ non consistit semper in commiseratio-
ne & lenitate, sed quandoque in severitate, ob quam
ipse etiam æquitas pœnas acuit. *Carpz. in Praet. Crim.*
Q. 24. n. 9. Quare omne & singulas rerum & facti
ipsius substantias accuratè & diligenter ponderare ju-
bet *Claudius Saturninus* in *L. aut facta* 16. *ff. de pœn.*
sed an his ponderatis judex pœnam carceris perpetui
imponere delinquenti poterit? juribus illis, quæ quon-
dam jure Romano obtinebant, pœna illa planè fuit
inco-

incognita & illicita, nec nisi in servis receptæ ita enim
Ulpianus in L. 8. §. 9. de pœnis. Solent, inquit, *Præsides*
in carcere continendos damnare, aut, ut in vinculis conti-
neantur: sed id eos facere non oportet: nam hujusmodi pœ-
niae interdictæ sunt: *Carcer enim ad continendos homines,*
non ad puniendos haberri debet. & constitutio extat in L.
io. pr. ff. eod. & L. 6. Cod. eod. ubi habetur; *incredibile*
est, quod alleges, liberum hominem, ut vinculis perpetuis con-
tineretur, esse damnatum. Et in L. 35. ff. eod. habetur,
Mandatis Principibus, quæ *Præsidibus* dantur, caverur,
Ne quis perpetuis vinculis damnetur, idque etiam Divus Ha-
drianus rescripsit. Carcer enim de jure civili regulariter
non est pœna, quia inventus est non ad puniendos sed
custodiendos homines L. ult. Cod. de custod. reor. ubi de
his, quos tenet carcer inclusos sancitur, ut convictos ve-
lox pœna subducatur, id est, citè condemnentur, & pu-
niantur: aut liberandos custodiâ diuturnâ non mace-
ret; pœnis enim, quæ mortem inferunt, & vitam reo
adimunt, pœna perpetui carceris annumeratur, & ita
condemnati pane doloris & aquâ tristitiae ita maceran-
tur. cap. forus X. de V. S. ut lentâ morte afficiantur,
ad eo, ut carcer perpetuus merito morti æquiparetur.
Jure tamen consuetudinario contrariam est receptum.
Siryk. in usu modern. pand. de custod. & exhibit. reor. §. i.
& jure canonico carcer est institutus etiam ad pœnam.
Unde Bonifacius VIII. ita rescribit in cap. *Quamvis de*
pœn. in 6. ita rescribit: *Quamvis ad reorum custodiam non*
ad pœnam carcer specialiter deputatus esse noscatur: nostam-
men non improbamus, si subiectos tibi clericos confessos de
criminibus, seu convictos, (eorum excessibus & personis,

ceterisque circumstantiis prouide pensatis) in perpetuum
vel tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad
pœnitentiam peragendam. Et Innocentius III. in cap.
27. X. de V. S. pro illo vero, inquit, falsario scelerato, quem
ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consu-
lendum, ut in perpetuum earcerem, ad agendam pœnitentia-
tiam ipsum includas, pane doloris & aqua angustiae susten-
tandum, ut commissa defleat, & flenda ulterius non com-
mittat. Quia cum sacri canones non infligant pœ-
nam mortis cap. in Archiepiscopatu 4. X. de raptor. Ideo
ne crimina impunita maneant, necessariam fuit, pro
gravioribus criminibus pœnam perpetui carceris sta-
tuere. Gl. hic in casu, quam Ecclesiastici judices non so-
lum contra Clericos imponere possunt, sed etiam con-
tra laicos, præsertim in causa haereseos. cap. excommu-
nicamus 15. §. si qui. X. de heret. Non facile tamen quis
ad carcerem perpetuum solet damnari, sed ubi alia
pœna imponi potest, illa est imponenda, nec conce-
ditur & dictatur, nisi atrox sit delictum. Srryk. dict. tit.
de custod. & exhibit. reor. §. 1. Quæ denique de hac
materia notatu digna, prolixius deducet publicè ex ca-
thedra, occasione dict. L. 35. ff. de pœn. quam pro le-
ctione cursoria elegit

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS
CONSTANTINVS GOTTFR.
Ehrhardt/

Natus in Pago Trachenau prope Lipsiam die XXIX. Ja-
nuarii, anno MDCCVIII. Patrem habuit Dn. Mag.
NICO-

NICOLAVM EHRENFRIED EHRHARDTVM, Pasto-
rem olim apud Trachenavienses & Gaulizienses, jam
ante quatuor annos beatè defunctum. Matrem vene-
ratur DOROTHEAM ELISABETHAM, natam STRI-
GELIN, curavere optimi Parentes, ut primis ætatis
suæ annis institutione domesticâ uteretur, quam Pater
ipse in se suscepérat. Deinde M. HEINOLDIVM &
BELLIONEM, & M. FLEISCHERVUM, Præceptores
habuit. Porrò crescentibus annis ad lycæum, quod
Geræ floret, missus, ibidem Rectore M. GOLDNERO,
Con. Rectore M. WOLFFIO, & Collega tertio M.
SCHLEVSNERO, per tres annos Studia humaniora
excoluit; mox iterum domesticâ institutione imbutus
fuit, Præceptore M. JOANNE HENRICO PFLVGIO,
Pastore nunc meritissimo apud Tiffurentes, cui mul-
tum se debere gratâ mente profitetur. Absolutis stu-
diis humanioribus anno ætatis suæ XVI. completo,
Lipsiæ studiis philosophicis operam dedit sub D. RIED-
GERO & D. KORTIO. Porrò studio juris sub cele-
berrimis Jurisconsultis & Professoribus Lipsiensibus,
D. MENKENIO, RECHENBERGIO, RIVINO, KÜHN-
NOLDO, DÆGNERO, GEBAVERO, HÆCNERO in-
cubuit. Cumque Theoriā juris sine applicatione
ad facta occurrentia, inanem esse cognosceret, exer-
citatos praticos Lipsienses adiit, inter quos Dn.
STOLTZEN, DIEZIVM & LAVENTIVM laudat, &
imprimis se primo, gratâ recordatione, plurima de-
bere allegat, illorumque ductu, ea, quæ ad praxin fo-
rensem spectant, familiaria sibi reddidit. Tandem nos
accessit, & ad consuetum examen Dominorum Can-
dida-

didatorum admitti decenter petiit. Petitioni huic an-
nimus, & eum ad examen Lectionem cursoriam di&
L. 35. ff. de pæn. nec non Disputationem.

DE

RELEGATIONIBVS

IMPRIMIS

ACADEMICIS

ET

NOB. QVÆSTIONE:

AN NOTENT?

admisimus. Quibus actibus ut Domini Proceres, Ci-
ves Academicæ atque Jurisprudentiæ Cultores, cras IV.
Junii horâ VII. matutinâ interesse velint, eâ quâ par est
humanitate invitantur. Publicatum sub Sigillo Facul-
tatis Juridicæ III. Jun. Anno MDCCXXXI.




ULB Halle

3

005 367 751



VDN 8



B.I.G.



1731, 18
FACVL TATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
Streit, JC_TVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typog.